



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

2. Ex injuncto &c. Bulla quæ Ecclesiæ Patrochiadis Thorensis Unionem ac  
Incorporationem Mensæ Cathedralis Gebennensis Ecclesiæ concedit: anno  
1514.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

Ego LEO Decimus Ecclesiae Catholicae Episcopus subscripsi.



Ego R. Ep. Ostien. Card. S. Georgii Camerarius.  
Ego B. Ep. Sabin. Card. S. †.

Ego Ja. Episc. Alban. Card. Arboren.  
Ego F. Episc. Tiburtin. Card. Vult.  
Ego M. Episc. Praenestinus Card. Senogall.  
Ego T. Presbyter Card. Strigoniensis, tit. S. Martini in Montibus, manu propria subscripsi.  
Ego F. tit. SS. Joannis & Pauli Presb. Card. Surrentin. manu propria.  
Ego N. tit. S. Prisca Presb. Card. de Flisco, manu propria.  
Ego Hadrianus tit. S. Chryzogoni Presb. Card. Bathoniensis, manu propria.  
Ego R. Presb. Card. tit. S. Anastasiae Nannetensis subscripsi manu propria.  
Ego L. Presb. Card. tit. S. Susanna.

Ego C. Presb. Card. tit. S. Ceciliae de Finario subscripsi.

Ego Chri. Eboracen. tit. S. Prax. Presb. Card. subscripsi.

Ego A. tit. S. Vitalis Presb. Card.

Ego P. tit. S. Eusebii Presb. Card.

Ego B. tit. S. Sabinae Presb. Card. de Saulis.

Ego F. Diaconus Card. S. Angeli de Sancto Severino.

Ego Hip. Diac. Card. Estensis.

Ego A. S. Eustachii Diac. Card. de Farnesio.

Ego L. S. Mariae in Cosmedin. Diac. de Aragonia.

Ego M. S. Mariae in Via Cata Diac. Card. Cornelius.

Ego Al. S. Theodori Diac. Card. Petruccius,  
P. Bambus.

D. de Comitibus.

Locus † Plumbi.

II.  
Ex Arch.  
Reipubl.  
Genev.

Bulla qua Ecclesiae Parrochialis Thorensis Unionem ac Incorporationem Mensae Cathedralis Gebennensis Ecclesiae concedit: anno 1514.

### LEO EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

**E**X inuncto Nobis desuper, imparibus licet meritis, Apostolicae Servitutis Officio, ad ea libenter intendimus, per quae singularum, praesertim Cathedralium Ecclesiarum & personarum in eis Divinis laudibus insistentium, commoditatibus valeat salubriter provideri. Cum itaque Parrochialis Ecclesia Thorenci, Gebennensis Diocesis, quam Venerabilis Frater Noster Ludovicus Episcopus Mautanenensis, nuper in Commendam ex Concessione & Dispensatione Apostolica obtinebat, Commenda hujusmodi ex eo, quod illi hodie idem Ludovicus Episcopus, per dilectum Filium Magistrum Ricardum de Milanensibus, Scriptorem & Familiarem Nostrium, Procuratorem suum ad hoc ab eo

specialiter constitutum, in Manibus Nostri sponte & libere cessit, Nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam, cessante adhuc eo, quo ante Commendam eandem vacabat modo, vacare noscatur ad praesens. Et sicut exhibita Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Capituli Ecclesiae Gebennensis petitio continebat, ipsi longo jam ex fluxu temporis intervallo, pro Divini Cultus augmento & Veneratione dictae Ecclesiae Gebennensis, quae plurimum insignis existit, unum Magistrum cantus & sex pueros Chori in Musicae arte peritos, sub tenui & exili fundatione, & pro majori parte impensa Mensae Capitularis ipsius Ecclesiae Gebennensis tenuerunt, & pro Divino Officio decentius celebrando, duodecim Capellanos Presbyteros, qui cum Magistro & pueris praefatis in dicta Ecclesia Gebennensi singulas horas Canonicas, & alia Divina Officia decantare & celebrare, & in eisdem deservire & assistere tenentur, sub certis exiguis stipendiis, ad quindecim Ducatos auri de Camera annuatim non ascendentes, eligere & deputare consueverunt, ipsique in fabrica & ornamentis dictae Ecclesiae Gebennensis manutenendis & conservandis, aliisque dietim eis occurrentibus oneribus adeo gravati existunt, quod nisi eis de alicujus subventionis auxilio provideatur, laudabilem consuetudinem hujusmodi, cum detrimento Divini Cultus aboleri, tempore procedente, posse suspicantur. Verum si dicta Parrochialis Ecclesia Mensae praedictae perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, hoc profecto Divino Cultui, & dictae Ecclesiae Gebennensis decori non parum confuleretur. Quare pro parte Capituli praedictorum asserentium, dictae Parrochialis Ecclesiae fructus, redditus & proventus centum octuaginta Ducatorum auri similium, secundum communem aestimationem, valorem annum non excedere, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Parrochiam Ecclesiam praedictam eidem Mensae perpetuo unire, annectere & incorporare, aliasque in praemissis opportunè providere, de Benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur quascunque Gratias, Expectativas, speciales vel generales, Reservationes, Uniones, Annexiones & Incorporationes, Suppressiones, Extinctiones, perpetuas & temporales Nominationes, ac reservandi, unendi, annectendi & incorporandi, nominandi & nominatis vel aliis conferendi, supprimendi, extinguendi, aliasque citra tamen accessus & regressus, Facultates, Litteras, Mandata & Indulta quaecunque, necnon absque dicti Ludovici Episcopi Consensu, Coadjutorum Deputationes, etiam cum Provisionibus, Commendis & aliis dispositionibus, ex tunc quibusvis personis, cujuscunque Dignitatis, Status, Gradus vel Conditionis existentibus, & quaecunque etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali seu Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori Dignitate, Auctoritate, Praeeminentia, Nobilitate & Excellentia, aut etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac familiaribus continuis Commensalibus Nostri, etiam descriptis, seu in eorum aut Ecclesiarum, etiam aliarum Cathedralium & Metropolitanarum, Monasteriorum, Mensarum, Capitulorum, aliarum Dignitatum, & quorumcunque aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum Cura & sine Cura, Saecularium & quorumvis Ordinum Regularium, Locorum Piorum, Universitatum, Studiorum & aliorum quorumcunque, aut nullius favore, ac eorum necnon jurium cessorum vel ablatorum, aut spoliis, damnarum & obsequiorum, etiam Nobis & Romanae Ecclesiae, vel dictae Sedi aut pro Fide Catholica impensorum, seu quavis alia grandi & excogitabili causa, consideratione, contemplatione, instantia, intuitu vel respectu, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica Potestate Plenitudine, & cum quibusvis antelationum, Prae-

rogati-

rogativis, Declarationibus, Concessionibus, Favoribus, Gratis, Derogationibus, Suspensionibus, & aliis Derogatoriis Derogatoriis fortioribus, & efficacissimis & solitis clausulis, irritantibusque Decretis, per Nos aut Sedem Apostolicam, aut Legatos ejus in genere vel in specie, & nominatim de dicta Parrochiali Ecclesia concessas & concessa, & imposterum concedenda, eorumque omnium tenores, vim & effectum antea omnia suspendentes, & in hujusmodi vacatione effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, nec debere decernentes, qui dudum inter alia volumus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annum valorem secundum estimationem prædictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interesset, Capitulum ac Capituli hujusmodi singulares personas, à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, nec non dictæ Mensæ fructuum, reddituum & proventuum verum annum valorem, verumque & ultimum dictæ Parrochialis Ecclesiæ vacationis modum, etiam si ex illo quævis generalis reservatio, etiam in Corpore Juris Clausa resulset, presentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinatis, Parrochiale Ecclesiam prædictam quovis modo, & ex cujuscunque persona, seu per liberam cujusvis resignationem, de illa extra Romanam Curiam, etiam coram Notario Publico & Testibus spontè factam, aut Constitutionem felicis Recordationis Johannis Papæ XII. Prædecessoris Nostri, quæ incipit: Execrabilis &c. Vel affectionem alterius Beneficii Ecclesiastici ordinaria Auctoritate collati, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta, ipsaque Parrochialis Ecclesia dispositioni Apostolicæ specialiter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisâ, dummodo tempore datæ presentium non sit in ea alicui specialiter jus quæsitum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, Venerabilis Fratris Nostri moderni Episcopi Gebennensis, ad hoc per dictum Ricardum etiam Procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, expresso accedente consensu, dictæ Mensæ Auctoritate Apostolica, tenore presentium perpetuò unimus, annectimus & incorporamus, ita quod liceat, ex nunc Capitulo præfatis per se vel alium, seu alios corporalem possessionem Parrochialis Ecclesiæ Juriumque & Pertinentiarum prædictorum, propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illiusque fructus, redditus & proventus, reservata ex illis congrua portione, pro uno vel duobus Vicariis, qui eidem Parrochiali Ecclesiæ in Divinis deservire, ac illius Parrochianorum Animarum Curam exercere habeant, ad eorundem Capituli numerum ponendis & amovendis, super quo eisdem Capitulo liberam facultatem concedimus, ac summa ducentorum Florenorum Monete Sabaudicæ, quinquaginta tres Ducatos similes vel circa constituentium, in sustentationem Magistri & puerorum, ac augmentationem Stipendiorum dictorum Capellanorum, æquis portionibus, prout eisdem Capitulo visum fuerit expedire, convertendis, in fabricæ dictæ Ecclesiæ Gebennensis usus & utilitatem convertere, Diœcesani loci, & cujusvis alterius licentiâ super hoc minime requisitâ. Non obstantibus Voluntate Nostra prædictâ, ac piæ Memoræ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisio-

nibus sibi faciendis, de hujusmodi vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad Inhibitionem, Reservationem & Decretum, quam alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processum habitos per easdem, & inde secuta quæcunque ad dictam Parrochiale Ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad affectionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorem existant, per quæ presentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda sit in Nostri Litteris mentio specialis; Provisio, quod dicta Parrochialis Ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis, & Animarum Cura in ea nullatenus negligatur, sed illius congruè supportentur onera consueta. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Nulli ergò omnino hominum liceat, hanc paginam Nostre Suspensionis, Absolutionis, Unionis, Annexionis, Incorporationis, Concessionis, Voluntatis & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quarto decimo, Prædie Id. Julii, Pontificatus Nostri anno secundo.

N. de Lastilla.

Bulla super Societatibus Officiorum Romanæ Curie: anno 1514.

### LEO EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**R**omanum Pontificem, in quo Fidei orthodoxæ fundamenta à Deo sunt constituta, & qui Christianæ veritatis assertor existit, imprimis summa ope niti decet, ne contrahentium in hac alma Urbe, in qua Romano Pontifice regimini præsidente universalis Ecclesiæ, aliquo modo animæ salutis præjudicium afferri contingat, sed quæ ex hujusmodi commerciis procedunt, sine aliqua labe, ac in sinceritate Fidei inviolata permanere debeant, ne unde jus oritur, exinde nascatur injuria, & qui documenta salutis cæteris præstare consuevit, exempla tribuat delinquendi. Ea igitur curâ moti libenter ad ea intendimus, per quæ non solum Curiales (quantum cum Domino possumus) sine aliqua labe in bono conserventur statu, & eorum laboribus, ac laudabili exercitio commode, honestèque se sustentare valeant, sed omnis prorsus illiciti lucri via eis præcludatur, & eorum dispendiis obvietur.

Cum itaque fide dignorum testimonio acceperimus, quod Officiales Romanæ Curie pecuniis indigentes, partem aliquam officiorum quæ obtinent, aliis pro certa pecuniarum summa communicant, & ad respondendum de emolumentis pro dicta rata, cum aliquibus pactis minus licitis se obligent: Aliqui verò officia ipsa de pecuniis aliorum ementes, & illa in propria persona exercentes, etiam cum ad illa exercenda plurimum apti existant, in eorum ingenio, & industria confidentes aliquas super illis ineunt conventiones.

Nos super his opportunum remedium adhibere

III.  
Ex Miscell. Bibliothecæ Casanat.  
Tom. 59.  
in 4to.